

applicari posse. Quæstio erat, quantus sit mundus? Respondetur, mundum non excedere iter unius diei: à sole enim mane oriente & vesperi occidente, quotidie circumiri. Hæc ex multis excerpimus, unde quadantenus dispalescit, quâ disputandi arte, Turcæ nos aggredierentur, si Logicam ferram reciprocandi, ipsis concederetur facultas. Reliqua autem ibi proposita, consultò omittimus, quæ salivam movere nequeunt, nisi

Verecum in patriâ crassoque sub aëre natis,

Ita referatis ostiis, amotisque impedimentis, ad Philosophiæ Turcicæ penetralia aditus patet. (1) Ingressuri verò, ordinem servabimus, in scholis nostris consuetum,

(1) Apud Turcas nullam doceri Philosophiam scribit Alexander Rosf, de diversis Religionibus totius mundi Sect. 6. p. m. 302. Contrarium ex variis Autoribus, præsertim ex Alcorano, ostendemus. Observandum verò, quod Alcoranus jam pridem, in Philosophicis æquè ac Theologicis dogmatibus, à Christianis oppugnatus sit. Spectant huc (1.) Fratris Richardi, ex Ordine Prædicatorum, qui ante trecentos jam annos vixit, *Confutatio Alcorani*, quam Demetrius Cydonius, ex Latinâ in Græcam linguam vertit, Bartholomæus autem Picenus de Monte arduo, rursus ex Græcâ in Latinam, sed ut ipse, in Præfatione ad Ferdinandum Regem Aragoniæ & utriusque Siciliæ, scribit, *nitidiorè cultu, candidiorèque stylo*. Libellum eundem Lutherus noster dignatus est in Germanicam linguam transferre, qui Tom. IIX. Jen. Germ f. 12. seqq. reperitur (2.) Dionysius Carthusianus cognomine de Rickel, cujus libri quinque, ut titulus habet, *contra Alcoranum & sectam Machometicam*, prodierunt Colonia Anno 1533. (3.) Nicolaus de Cusa, qui libros tres *Cribrationum Alcorani*, Pio II. Pontifici inscriptos vulgavit, qui in Operibus illius T. 2. p. 879. exhibentur. Hos vidimus & evolvimus. Johannem Maurum verò consulere non licuit, de quo Voëtius Biblioth. Stud. Theol. L. 2. c. 5. Append. 3. p. 549. scribit: *Breviter & optimâ methodo oppugnationem Alcorani instituit & fuit supra omnes, in mysteriis istius sectæ, versatissimus.*